



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi**

**Ulloa, Joannes de  
Augustæ Vindellicorum [u.a.], 1719**

Caput 2. De judice, & Thronis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

sentiales hominis, neque adhuc integrantes illius specificativè, ac secundùm se inspecti, sed reduplicativè, ut in hac vita. Unde vocatur corpus *spiritale*, non quia chimerica metamorphosi convertendum sit in spiritum, sed in eo sensu, in quo ventus, subtilissimæq; portiuncula nostri sanguinis vocantur spiritus. Fateor, Apostolum loqui de corpore glorioso; sed demptis gloriosis dotibus idem quoad cætera alia dici potest, de corpore resurgente ad æternam vitam inferni.

XXII. Requiritur 7mo. ad resurrectionem Petri v. g. quod eadem sua individua anima iterum uniatur illi scheleto carnibus, nervis, & ossibus jam vestito per eandem individua substantialem unionem, per quam illi quondam fuit unita, quæque Petro essentialis est, videlicet per illam eandem, per quam in prima animatione Petri unita fuit materiæ primigeniæ illius, ut supra dicebam; sicut enim cæteræ partes materiæ, seu corporis, quas Petrus acquirit nutritione, vel amittit actione contrariorum agentium, non sunt de essentia physica illius, quandoquidem idem homo est in pueritia, qui in ætate virili, & idem post abscissum brachium, qui prius erat. Ita cæteræ uniones animæ cum illis cæteris partibus materiæ non sunt de essentia Petri, neque partes integrantes primariè, neque secundariè ex illis, in quibus consumatur meritum, aut peccatum. Idem namque homo est post amissas multas illas uniones (quæ sanè amittuntur, quando amittitur illa pars materiæ, cum qua nectebant animam) ac erat antea, neque propter illarum destructionem destruitur illa unio primitiva, quæ sola est de essentia Petri. Neque propterea rationalis anima evadit divisibilis: siquidem substantia indivisibilis potest uniri substantialiter substantiæ divisibili per multas uniones partiales, sive particulas unionis. Vide, quæ hæc super re dixi Disp. 1. Physicæ speculativæ Cap. de unione, quæ sunt merè philosophica, & rei præsentis non bene ingeruntur; sed loquimur ex suppositione illius rei Philosophicæ. Hinc fit, quod veritas resurrectionis ipsiusdem absolutè hominis potest subsistere, sive

Deus reproducat illas individuas portiunculas unionis, quibus olim anima Petri uniebatur singulis punctis materiæ, sive de novo producat alias, modo verificetur: animam toti illi corpori manere unitam, sicut in hac vita unita erat. In reproductione illius dictæ unionis essentialis ejusdem animæ cum eodem corpore, stat formaliter, ultimo, & completè resurrectio. Hæc duo, nempe 6tum & 7timum reor esse omnino supra vires naturales Angelicas, & consequenter à solo Deo facienda in generali resurrectione. Ex nulla probabilis historia, aut ratione constat, Angelum ullum, sive bonum, sive malum, fecisse unquam, vel minimam particulam carnis humanæ, aut sanguinis; imo neque humanam pellem, aut naturalem reorem sciunt, aut possunt imitari demones (qui tamen non amiserunt vires naturales) in scelerato commercio, quod succubi, aut incubi habere solent, cum infelicibus individuis humanis; ut ex uniformi strygmum confessione scribit Martinus à Rio. Stat itaque, propriam, & veram causam resurrectionis omnium hominum esse solum Deum.

## CAPUT II.

De Judice, & Thronis.

XXIII. Redivivis jam cunctis hominibus, qui ab Adamo usque ad noctem antecedentem illi diei 35. concepti fuerunt, etiam non fuerunt nati. Item segregatis per sanctos Angelos prædestinatis à reprobis, juxta ea, quæ dixi num. 7. Item elevatis illis per suos antiquos Custodes, ut ibi suspicabar in sublimem aëris regionem, (fortè usque ad confinia atmosphæræ, quæ assurgit supra terram, saltè supra 52. milliaria, aut circiter; ut ostendi ex crepusculis cum Halahaceno Disp. 3. Philosophiæ naturalis num. 180.) dicit namque Apostolus *simul rapiemur*, (En forsan ministerium Angelicum) *cum illis in nubibus*, (hæ formantur intra atmosphæram) *obviam Christo in aëre*, qui etiam *veniet in nube*, nam *videbunt Filium hominis venientem in nubibus celi cum virtute multa, & majestate*, quod repetit Joannes inquit: *Ecce venit in nubibus*, & videbit eum.

eum omnis oculus; nam licet nubium fulcris non egeat Christus, ut patet, congruum est, ut actio peragenda ab illo ut homine, ac coram omnibus hominibus humano modo peragatur: & consequenter in throno materiali; nubes autem elevata ad confinia atmospheræ est thronus proportionatus, & visibilis à toto genere humano in ea regione coadunato, & congruum est, quod oculis carnis videant homines carni iudicem suum. Clara itaque omnia illa videntur indicia, de eo, quod magna ea functio celebrabitur intra atmospheram, & non supra 50. aut 60. milliaria à globo terraqueo, & quidem non in parte Atmospheræ incubante Europæ, Africæ, Americæ, aut toti Asiæ, sed incubante Palestinæ, ubi est vallis Josaphat, & ubi facta fuit Incarnatio, Nativitas, Prædicatio, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensioque Domini, & ubi lex Evangelica incæpit, & unde exierunt Apostoli, Evangelistæ, atque olim exierant Prophetæ, & ubi datur locus, ut absque compenetracione sint partim in terra, partim in tota illa parte Atmospheræ, quotquot humana corpora fuerunt ab initio mundi; Siquidem ex arte militari constat, quam multi homines benè ordinati possunt esse in modico spatio. Item raptatatis reprobis per demones suos ad illam partem orbis. Item occupantibus prædestinatis æream regionem, quæ sit à dextris illius nubis, quæ thronus erit Jesu Christi, & infixis reprobis in ea terra, quæ erit à sinistris: Et consequenter positus prædestinatis in latere Septentrionali, & reprobis in australi, si Christus obversus sit nostris regionibus occidentalibus, in quibus poluit Vicarium suum. Teatro inquam sic disposito incipiet iudicium, cujus quidditatem exponam infra.

XXIV. Duo inter alios scriptores Canonicos, unus ex veteri, alter ex novo testamento, perspicuis verbis locuti sunt de hoc iudicio. Et cum Deus per se solum, aut per Angelicum Ministerium, ut initio Disp. 3. explicui, aperiret iudicii universalis imaginem, quoad illa, quæ expediebant duobus his viris adhuc viatoribus, ut ab illis nos etiam in statu viæ hanc disceremus, aperuit

R. P. Ulloa de Principio & fine Mundi.

illam sub formis, & figuris vulgò notis, & usitatis apud homines in hoc statu, (tamen aliqua ex eis, quæ significantur per illas figuras non sint futura physice, ac realiter à parte rei, prout figuris illis representantur, ut illud de *Capillis Capitis Dei*, quasi lana munda, & illud de *Libris aperiendis*) unicuique enim res dici debet in suo idiomate: Ut enim norat Paulus: *si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* Hac de causa scriptura sacra præsertim quoad vetus testamentum, quo tempore major pars populi minus culta, & perspicax erat, loquens de Deo, & de Angelis, toties utitur symbolis hieroglyphicis, figuris, & verbis innuentibus corpus; imò regnum ipsum cœlorum proponitur nobis sub specie, ac figura prandii opipari. *Accumbent in regno Dei;* ac per modum potus, *non bibam amodo de genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* Cum tamen ibi neque cibus, neque potus futura sint juxta firmam Pauli doctrinam: *Non est enim regnum Dei esca & potus,* nempe quia corpora nostra reformata resurgent, & immunita ab eis miseriis, quæ illorum neceffitatem, aut appetitum inducunt, similiter in Apocalypsi proponitur cœlum, ut urbs gemmata cum multis aliis rerum corporearum, quia licet multi sciant non futuras ibi hujusmodi res, aramen hi ipsi, & ceteri populi christiani nequeunt absque his imaginibus rerum materialium, quarum solarum assueti sunt ab incunabilis, firmare imaginationem, ut mens aliquatenus apprehendat, & postea iudicet res illas supernas. Similiter si Raphael, ut suæ dignitatis conceptum aliquem formaret, utriusque Tobie dixit: *Ego enim sum Raphael Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ambo namque illi debebant inter Babylonios, apud quos mos erat, quod septem Purpurati, qui erant primi ministri in ordine ad externa negotia, & gubernationem Monarchiæ adessent semper Regi: unde audientes Raphaellem esse unum ex septem astantibus ante Deum, intelligebant, eum esse unum è primariis Ministris Divinæ providentiæ, quoad regimen hujus saltem mundi inferioris,

Kk

ris,

ris; similiter significaturus Deus perpetuam, quam habiturus erat curam de Ecclesia Hebræa, usus est illa Metaphora per Isaiam. *Usque ad senectum ego ipse; & usque ad canos ego portabo* Cap. 46. quasi canorum, & senectæ esset capax Deus, cui dicitur, quod cœlis veterascensibus, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Psalm. 101. Ratio autem est, quam sæpe insinuavi. Videlicet Scripturam sacram non tam fuisse divinitus inspiratam pro Angelis, aut animabus separatis, quæ sanè non egent his figuris materialibus, quam pro hominibus viatoris, qui eis indigent. Et ne homines in alium errorem inciderent judicantes alterius vitæ res futuras corporeas, & materiales quoad omnia, aut spiritum, carnem, & ossa habere, providit Deus Ecclesiæ suæ (quod non fecit cum obscenari, & metaphoris alcorani) Doctores alios, qui exponerent sensum illorum verborum, quæ aliquid carni, & materiale insinuant. Non itaque est mirum, quod Danieli, & Joanni proposita fuerit gravissima illa res iudicii universalis sub specie, ac figura rerum materialium, quarum ipsi, & nos ab infantia erant, & sumus affucti.

XXV. Igitur Daniel connectens iudicium ultimum cum rebus Antichristi, scribit: *Antiquus dierum sedet*, id est, æternus Pater, qui nec origine, nec tempore reali, aut imaginario præsupponit aliud ante se, objectus est Danieli in eo symbolo, tanquam sedens, quia apud homines Judex sedet, quando iudicat, aut iudicandi potestatem committit, & in eo casu obijciebatur Deus Poophetæ, ut Judex totius mundi pergit. *Vestimentum ejus candidum, quasi nix*: Ad significandum candorem, ut jam dixi, atque integritatem illius iudicii, & quod non erit acceptio personarum, & quod sicut in candore, ut tali, nivis, nulla profusus est macula, ita in iudicem illum nullus resiliet nævus ex dissimulata ulla culpa in aliquo iudicandorum, quia nil inultum remanebit, & quia sicut *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii*; Ita quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipulis, amen dico vobis non perdet mercedem suam: Addit

Propheta: *Capilli capitis ejus, quasi lana munda*. Canities maturitatem in iudicio, & immunitatem à præcipitatione ostendit; Et sicut Deus quando ostendit se, ut misericordem Patrem, dixit de se Canos, & senectam, ut paulo ante retulit ex Isaiâ; Ita quando se ostendit ut severum Judicem, apparuit cum capillis albis: Addit, rursus: *Thronus ejus flamma ignis, rota ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus*: quia cum ignis sit omnium causarum naturalium terribilissima, apparet imago Dei cum magna copia ignium quando apparet in functione omnium terribilissima, qualis erit ultima illa actio iudicandi totum genus humanum. De functione eadem iudicii universalis dicit Joannes: *Vidi thronum magnum candidum*; sed Daniel vidit illum igneum: quia cum iudicandi sit prædestinari, & reprobari, quod illis erat signum pacis, & amoris, his erit signum vindictæ & furoris, vel quia Daniel erat vir veteris testamenti, Joannes novi, & quod in testamento veteri erat hominibus terrori, in novo est dulcedini, & securitati. Pergit: *Milia millium ministrabant ei*, nempe actio in ministeriis illis, quæ supra dixi, exhibenda esse per Angelos bonos in resurrectione, & iudicio universali. Vel parentia, & promptitudine, quatenus prompti erunt innumeri Angeli ad iudicium Judicis supremi. *Et decem milia centena millia assistebant ei*, quia in regis functionibus gravissimis Aulicæ pars ministrant Regi, pars merè assistunt ad conciliandum auctoritatem actioni: Et quamquam Deus certissime non eget his pompis, & quasi adminiculis auctoritatis; verumtamen in gravissima ultima actione, quam habebit coram cunctis hominibus, atque ut homo, hominum more se genere decrevit; atque idecirco prædixit Christus Dominus se videndum in casu illo, *cum virtute multa, & Majestate*. Et postea: *Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo &c.* En illa millia millium, quæ ostensa fuerunt Danieli, & de quibus loquitur Henoc in sua Prophetia citata per S. Judam. *Eccce venit Dominus contra omnes &c.* quibus si adjunges omnia

nes alios Cælicolas comituros Christum ad iudicium, jam vides pompam futuram esse immensam: Concludit demùm Daniel, *iudicium sedit*, & *libri aperti sunt*; sed de hoc postea.

XXVI. Interea obijcies juxtà hunc discursum, qui exerciturus est functionem illam iudicii universalis, est æternus Pater, nempe antiquus ille dierum. Sed hoc contradicit Christo palàm dicenti: *Nec enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*; Ergo species, sive imago illa antiqui dierum, non representabat æternum Patrem. Nego majorem, quoniam aliud est, quod publica, & sensibilis vox vocatura ad cælum pios, & damnatura ad infernum impios processura sit physicè, ac realiter à Patre, descensuræque ex ejus mente, ac voluntate, sicut etiam à Spiritu sancto. Et hoc est verum, quia quidquid modo sit de notionalibus actibus, ac quoad opera externa una est in tribus personis scientia, una volitio, unaque omnipotentia. *Inseparabilia quippe dicimus esse opera Trinitatis*, quocirca voces illæ, *venite Benedicti, discite à me maledicti* &c. sicut etiam intellectus, & voluntas unde procedent, erunt Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quemadmodum illa vox *hic est Filius meus dilectus*, indivisè procedebat à tribus divinis personis; sed sicut hæc non significabat omnes tres Personas, à quibus physicè producebatur, sed solum Patrem, quia solius Patris declarabatur Filius Christus D. non autem Filii & Spiritus sancti, cui diversitati dat locum realis distinctio divinarum personarum sociabilis cum indivisibilitate in operando, ita illæ aliæ voces non significant tres divinas personas, à quibus producerentur; sed solum Filium, quia hæc sola sanctissima Persona exercebit publicè coram cunctis hominibus (in humanitate verò, quam assumpsit) actionem illam. 2. Aliud est, quòd solus Pater sit prima radix, & origo totius illius potestatis judiciariæ, totiusque illius Majestatis qua exercebitur illa actio. Et hoc quoque est verum, quia solus Pater *omne iudicium dedit Filio*, sive, (ut sentit Ambrosius) *generando non largiendo*, existimans datum esse Filio, ut Deo sive in humana generatione, ut sentiunt Augustinus, & alii dicentes, datum esse Christo, ut homini, quia licet humana Christi generatio à tribus divinis Personis processerit indivisè, at solus Pater est primum principium, prima radix, seu origo illius, quia ex illo sunt aliæ duæ Personæ, & ille ex nulla alia; Unde merito dixit Augustinus loco illo de prædestinatione, loquens de munere docendi: *Ideo Patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus Unigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus*; Ac propter eandem rationem sciens Jacobus omnia nostra bona descendere nobis ex tota Trinitate, non hanc totam, sed solum Patrem meminuit, inquiens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit à Patre luminum*: Quia nimirum hic solus est primum principium, & origo aliarum duarum Personarum, à quibus etiam indivisè cum Patre descendit omne, quòd nobis descendit. Vide infra num. 51.

XXVII. Solus itaque Pater est primum principium totius illius Majestatis, & potestatis judiciariæ omnium hominum: Atque idcirco revelans Deus Danieli hanc magnam ultimam functionem, objecit illi primo loco speciem, seu imaginem Patris æterni, pro autoritate sedentis. *Antiquus dierum sedit*, non tanquam, qui futurus esset Judex sensibilis, apparens, & manifestus in eo tribunali, sed tanquam, qui est primum principium, & origo illius, qui publicè exerciturus est actionem illam, nec non potestatis, atque Majestatis, quibus illam exercebit. Unde addit ibidem Propheta; *Et ecce cum nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat*, (en signum, & symbolum Jesu Christi objectum oculis Danielis) & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum; quia sic solet fieri aquid homines, quando unus accipit ab alio magnam aliquam autoritatem, seu investituram, ut ajunt: & ut dixi num. 24. Deus solet revelare nobis altas, & sublimes res spirituales, non per species proprias, & prout physicè, ac realiter sunt, vel erunt, sed per species alienas, & prout res aliquatenus similes solent esse apud homines) & *dedit ei potestatem, & honorem, & regnum*, in quo utique imbibitur potestas,

S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 13.

Epist. Jac. c. 1.

Joan. 5.

S. Aug. de Pred. c. 8.

S. Ambr. l. 2. de Fid. c. 4.

R. P. Ulloa de Principio & fine Mundi.

Kk 2

testas,

testas, & majestas judiciaria. 3. Denique aliud est, quod æternus Pater futurus sit Judex publicus, & sensibilis in judicio universali, & hoc est falsum. Non enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio; neque infertur ex eo, quod ille antiquus dierum esset Pater æternus, neque ex discursu scripto num. 25. neque ex toto contextu illius visionis; quinimo infertur oppositum, quandoquidem dicit ibidem Propheta, quod ille antiquus dierum dedit ei, quasi Filio hominis (ne moretur te illud quasi, quia est simile alteri quasi, quo utitur Joannes inquit, quasi unigeniti à Patre, & ambo sunt verba, quæ explicant realitatem, & non significant meram similitudinem) regnum, ubi potestas judiciaria imbitur.

XXVIII. Sola ergo secunda Persona sanctissimæ Trinitatis exercebit in humanitate, quam assumpsit, ultimam illam actionem, quia ipse JESUS CHRISTUS Apostolis præcepit: *Testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo* (nempe Patre, quia ab ipso solo procedit, & ipse solus est primum principium ex alio non procedens, omnium aliorum bonorum exceptâ Deitate, ut supra dicebam) *Judex vivorum, & mortuorum, & quia ipse JESUS solus est vir ille, de quo Paulus prædicans judicium universale, inquit de Deo. Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus &c.* Et quia ipse Dominus JESUS sæpe dicit de se hoc ipsum in Evangelio sub nomine Filij hominis: & demum quia de ipso solo confitemur in Symbolo: *Venturus est judicare vivos, & mortuos.* Exercebit autem hanc functionem visibilis omnibus, & conspicuus quoad humanitatem: tum quia de hac functione loquens Joannes. *Ecce venit cum nubibus.* Addit: *Et videbit eum omnis oculus;* si enim tenuissimam lucem diluculi, sive primi crepusculi assequuntur oculi nostri ex hac superficie terræ, quamvis illa sit elevata supra nos ultra 50. milliaria, ut sæpe dixi ex Hala-

acemo; quid mirum, quod fulgentissimum corpus JESU CHRISTI videatur, & quoad omnia oris lineamenta discernatur etiam ab illis infelicibus, qui affixi erunt terræ, cum sacrosanctum illud

corpus intra illa 50. milliaria extitutum sit, nempe in atmosphaera hujus mundi; adjungit Joannes; *Et qui cum pupugerunt, & plangent se super eum omnes Tribus terræ,* id est ex omnibus plurimi, quia nolentes olim audire illam vocem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* auferent tunc, velint, nolint, hanc aliam. *Ecce leonem Juda, ecce, qui ulcisci venit peccata mundi:* Tum quia ipse Dominus JESUS adjuratus à summo illo Sacerdote, respondit: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus caeli.* Tum quia in illa copiosa concione de fine mundi ait: *Tunc plangent omnes Tribus terræ.* (scilicet ex omnibus illis 72. familijs, in quas divisum fuit totum genus humanum, postquam cessatum fuit à turri Babelis ædificanda) *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute &c.* Unde arguo: Hæc testimonia significant in sensu obvio, & litterali, Christum Dominum videndum esse oculis omnium hominum. Ex alia parte nullum ex hoc sequitur absurdum, quia non propterea beatificabuntur Reptrobi, quinimo majus tormentum subibunt, ut repetitum illud verbum *Plangent* significat. Ergo Christus Dominus in vertice, aut prope verticem atmosphaera, visibilis, & conspicuus erit cunctis hominibus judicandis.

XXIX. Et quidem in throno, sede, aut tribunali ex nubibus formato. De solenni enim actione illa coram cunctis hominibus possumus respectivè dicere, sicut quod de Eucharistia dixit Chrylologus: *Si enim incorporeus esses, nulla, & incorporea tibi dedisset ipse dona, sed quoniam anima corpori conferta est (ut tunc erit conferta) in sensibilibus &c.* Et ratio est, quippe in primis id significant Scripturae in sensu litterali, quas nuper protrebam. Deinde solitus est Deus, ut supra ostendi, docere homines res etiam altissimas per modos, & formas, & species, quarum assueti sunt homines: At qui hi assueti sunt videre in actionibus gravissimis, & verè Regiis, sedentem in loco sublimi Regem, sive supremum Judicem, quia hæc materialis actio est una è comitantibus Regiam Majestatem. Ergo congruum est, quod idem commu-

gat in ultima illa solemnissima actione mundi, vide infra num. 49. Profecto, si ea sola futura essent, quæ sunt simpliciter antecedenter necessaria, & non illa quoque, quæ ex mero placito Divino descendunt ob fines sibi notos, nil omnino tentativè creatum foret futurum; quandoquidem nil creatum est simpliciter antecedenter necessarium. Ut Christus daret Apostolis Spiritum sanctum, non erat simpliciter necessaria externa actio insufflandi, sed quia agebat tunc cum hominibus, illa usus est cæremoniâ, *insufflavit, & dixit eis; accipite &c.* Præterea cum Tribunal Christi Domini erigendum sit in atmosphaera, ut à toto genere humano videatur; & materia propria illius Regionis, non sit alia, nisi vapores, halitus, exhalationes, quæ circumplectentes globum terraqueum, ex quibus formantur inter-dum Comææ latis magni & visibiles, passim autem nubes; & cum horum vaporum sit tanta copia, ut singulis invariabiliter diebus habeamus bina crepuscula, unum ante ortum solis, alterum post occasum, quæ licet non semper oculis videantur propter densitatem nubium, semper tamen rationabiliter creduntur esse, & hæc crepusculorum lux non aliter veniat ad nos, nisi per refractionem lucis solaris, hoc est per obliquam reflexionem in nos ex vaporibus atmosphaeræ. Cum hæc inquam ita sint, ex horum omnium complexione colligitur prudenter, quod thronus, sedes, seu Tribunal Christi Domini erit verè, ac realiter non ex alia materia, sed ex nubibus veris, ac realibus compactum per Angelos, quorum millia millium ministrabunt ei, ut supra dicebam ex Daniele, & Evangelio. Ex nubibus item videtur construendus Thronus ab eisdem ministrantibus Angelis Reginae suæ, ut tunc absolutè, ac simpliciter in præsentia omnium generationum sic conspicua, beata dicatur ab omnibus generationibus: si enim Martius Coriolanus eum honorem detulit Veturæ matri suæ, ut mentem obfirmans in destructionem Romæ neque publicis Legatis, neque Sacerdotibus, & Pontificibus supplicatum venientibus cesserit, & propter solam reverentiam

matris, incapto superfederit. Si Salomon honoravit matrem suam, & *super-vexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus;* non est temerarium, sed rationale judicare, Christum Dominum in actione illa omnium maxima, & ultima apud totum genus humanum, sic honoraturum Matrem suam, & ministrantes sibi Angelos jubeat, formare ex nubibus thronum Matri sanctissimæ cunctis hominibus visibilem, & supra Apostolicos ipsos thronos, ut omnes homines tunc videant, quod sic honoratur, quemcunque Rex honorare voluerit.

XXX. Ex eadem materia nubium, & propter eandem rationem, & ab eisdem Angelis ministrantibus Judici illi supremo, formandi videntur illi alii throni, seu sedes, quas numero duodenario promisit Dominus Apostolis: *sedebitis super sedes duodecim &c.* addentibus Angelis immensam copiam vaporum & subtilium, & crassiorum, & levium, & graviorum, quibus referta est tota Regio à superficie hujus globi usque ad illa quinquaginta saltem miliaria, quæ dantur atmosphaeræ. Et meritò corporibus illis jam gloriosis, & consequenter dote levitatis fruëntibus, dabuntur sedilia ex levissima nubium materia fabricata, quia non dabuntur sicut corporibus gravibus ratione sustentationis, ne cadant, sed ratione autoritatis habendæ coram toto genere hominum, apud quos, & inter quos autoritatis est sedere in loco sublimi; & quia etiam eorum Dominus ascendit super nubem levem, aliquando: Et quia etiam si viri Apostolici olim volabant super terram: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, effundentes super illam, non utiq; phialas iræ Dei, sicut Angeli ultores, sed imbrem, & rorem cœlestis doctrinæ.* *Predicite Evangelium omni creaturæ, cui præcepto obedientes, profecti prædicaverunt ubique Domino &c.* Et hoc tanquam Angeli pacis, qui aiebant, *pro Christo ergo legatione fungimur;* si hæc inquam ita fuerunt, congruum erit, quod in nubibus sedentes appareant coram cunctis hominibus, gaudentes, quod adepti fuerint in hac vita eventum, quem olim optabat Moyse: *Converscat, ut plu-*

via doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina. Affidebunt forsitan illis Patriarchis quoque antiqui, & Prophetæ, qui sanè Magistri fuerunt Ecclesiæ Hæbreæ, nec non Christianæ. Certè de Abraham meminit Dominus tanquam de habente auctoritatem supra gentes vitæ defunctas, quoniam Heluo ille clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum (hæc missio aliquid auctoritatis redolet) ut intingat &c. Et similiter totum illud colloquium, atque repulsa, quam ibi Christus meminit, aliquid innuit auctoritatis Abrahæ supra Lazarum prædestinatum, & epulonem illum damnatum: Et quidem non multum erit, quòd Pater omnium credentium tum per præputium, tum per circumcissionem coram utrisque sedeat in iudicio utrorumque; neque quòd Noe, qui primitivum illum damnavit mundum, videatur in throno conspicuus, damnans fide sua ultimum etiam mundum incredulum; neque quòd Henoch, & Elias, qui reservati sunt ad dandum ultimis gentibus poenitentiam, ad convertendumque cor Patrum in filios, & filiorum in Patres, quippe sunt due olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terra stantes; Sedeant tunc coram toto genere humano; neque quòd Moyse, qui olim fuit Mediator inter Deum, & homines, interfuit etiam tanquam Iudex actioni iudicandi obediens, & rebelles legis; neque quòd David iudicet quoque; de quo in sensu litterali dicit Deus: Ecce testem populis dedi eum, Ducem, ac præceptorem gentibus, quæ verba, licet in sensu allegorico convenient illi, quem David præfigurabat, in sensu obvio, & litterali non est, cur non convenient ipsi, quandoquidem in suis Psalmis est testis, dux, & præceptor populorum. Hinc non est cur verba illa Domini *sedebitis super sedes duodecim iudicantes* &c. intelligamus in sensu merè figurato, sicut illa de Regina Austri, & de Ninivitis, & non in sensu litterali, & obvio. Vide infra num. 44.

XXXI. Meminit itaque Dominus duodecim duntaxat sedium, & duodecim Iudicum, non quia illi soli Apostoli iudicaturi sint, aliàs Judas, qui tunc erat Apostolus, iudicabit, & Matthias, atque Paulus, qui tunc Apostoli non erant, non iudicabunt, cum tamen Paulus dicat: *Nescitis, quoniam Angeli iudicabimus? quanto magis secularis iudicabitur? quia tunc cum illis loquebatur, & dicere sedebitis & vos, non est dicere, vos soli sedebitis.* De cætero alij etiam fungentur illo munere, illaque speciali gloria accidentali iudicandi homines: unde Augustinus dixit, hanc eandem difficultatem explanans de duodecim sedibus, *Sacramentum est cuiusdam universitatis: Et postea, non solum ergo illi duodecim, & Apostolus Paulus, sed quotquot iudicaturi sunt (ecce agnoscit alios iudicatuos) propter significationem universitatis ad sedes duodecim pertinent.* Demum cum in domo Patris mansiones multæ sint quoad inæqualitatem præmiij essentialis; & etiam quoad diversitatem præmiiorum accidentalium v. g. quoad lauream Doctoratus, quoad sertum Virginitatis, quoad Palmam Martyrij &c. Varietas quoque erit quoad præmiij accidentale, habendi in conspectu mundi totius thronum, seu sedem iudicariam in die iudicij universalis; & sicut in hac vita non omnes Sancti fuerunt Doctores, non omnes fuerunt Prophetæ, non omnes gratiam habuerunt curationum &c. Ita in iudicio universali non omnes habebunt honorem, & gloriam accidentalem iudicandi genus humanum: Et demum sicut in uno actu corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi &c. sic Joanni apparuerunt in circuitu sedis sedilia 24. & super thronos 24. Seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum corone aureæ: cum procul dubio Sancti cum Christo regnaturi plures sint quàm 24. Magnis itaque caeli Proceribus sedentibus in thronis iudicialibus ex nubibus formati in circuitu throni Jesu Christi iudicaturi vivos, & mortuos, & habentibus hunc honorem, & hanc gloriam accidentalem supra cæteros Prædestinatos, felicissimi nos erimus, si prius rapti in nubibus obviam Christo, sparsim per totam illam Regionem atmosphæræ dexteramque Iudicis, stamus ex illa turba, quam vidit Joannes inquam, quam dinumerare nemo poterat.

ib. cap. 7. „ex omnibus gentibus, ac Tribubus, & „populis, & linguis, stantes ante thro- „num, & in conspectu agni, amici sto- „lis albis, & palmæ in manibus eorum. Illud autem ex omnibus gentibus, & popu- „lis &c. non videtur significare futurum in eo numero aliquem ex cunctis illis cœtibus, quos vocamus familias; qui fuerunt, sunt, & erunt; sed ex cunctis ab Adam, & ex omnibus illis 72. originariis, in quas divisum est totum genus humanum.

## CAPUT III.

De Apertione Librorum.

XXXII. Hanc metaphoram ape-  
riendorum Librorum,  
qua usi sunt ambo Prophetæ *judicium se-  
dit*, (hoc est iudices, sicut dicitur *Consi-  
lium Regium*, id est, Consiliarij Regij)  
Daniel. 7. & libri aperti sunt, inquit Daniel. Item:  
Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in  
Apocal. 20. conspectu throni, & libri aperti sunt, inquit  
Joannes. Hanc inquam metaphoram  
exposuit Paulus, quando loquens de  
adventu Domini ad iudicium dixit: *No-  
lite ante tempus iudicare quoadque veniat  
Dominus, qui, & illuminabit abscondita te-  
nebrarum, & manifestabit consilia cordium,*  
1. ad Cor. (nempe, & ea, quæ simpliciter re-  
4. manserunt intra cancellos cordis, quæq;  
absolutè vocantur *secreta cordis*, & ea, quæ  
prodierunt in actionem externam, quia  
hæc neque semper, neque omnibus est  
nota, tunc autem omnibus nota erit)  
& tunc laus erit unicuique à Deo; & hoc,  
vel quia laus, quam vir sanctus habebit  
ab Angelis, & hominibus, erit specia-  
liter à Deo tanquam ab auctore, quate-  
nus hic manifestabit illis merita omnia  
viri sancti, & quidem ex intentione, ut  
laudent sanctum virum, vel quia licet  
Deus jam multo antè laudaverit virum  
sanctum. *Confitebor, & ego eum coram  
Matth. 10. Patre meo, qui in caelis est: Et apud Lucam.  
Filius hominis confitebitur illum coram Ange-  
Luc. 12. lit Dei; quæ sanè confessio est magna  
laus Justitæ & quam habet in cœlo ante  
diem iudicij, veruntamen tunc in die  
iudicij laudandum esse à Deo hominem  
justum dicit Paulus, quia tunc in illo  
die palam, & notorium fiet toti generi  
humano illum laudari, & approbari à  
Domino. Est autem usitatum in Scrip-*

tura, ut ex Augustino scripsi Decade 4.  
Regula 3. quod res dicatur tunc esse,  
aut fieri, quando licet multo antè fuerit,  
cognoscitur publicè, & palam fit illam  
esse: ut probat S. Doctor ex illo *sanctifi-  
cetur nomen tuum*, quod valet *sanctum esse  
innotescat*, ubi similiter explicat illud:  
*Cum tradiderit Regnum Deo, & Patri*, id  
1. ad Cor. est, *cum Patre*, inquit *regnare monstrave-  
15. rit, ut per speciem manifestationemque clares-  
cat, quòd nunc à fidelibus creditur, & ab in-  
fidelibus non putatur: & similiter explico  
ibi illud de puero JESU: Proficiebat sapien-  
tia, & ætate, & gratiâ*, id est, quotidie  
majora specimina dabat, seu magis; &  
magis ostendebat, juxta profectum in  
ætate, thesauros sapientiæ, & scientiæ,  
& gratiæ, quos à primo suo instanti ab-  
sconditos habebat, similiter exponi po-  
test illud Pauli: *Tunc laus erit unicuique à  
Deo*. Igitur illa apertio librorum, quam  
Luc. 2. meminit uterque Propeta, nihil aliud est  
à parte rei, quam hæc manifestatio ope-  
rum, & consiliorum, quam dicit Pau-  
lus. Maxime cum ibidem dicat Joannes.  
*Et iudicati sunt mortui ex his, quæ  
scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*  
Id est: Iudicati sunt ab illis, quibus Deus  
concessit honorem iudicandi, secun-  
dum notitiam, quas his infudit Deus  
de operibus iudicandorum, quæ opera  
tanquam scripta in libris conservaban-  
tur in mente Divina.

XXXIII. Sed quomodo fiet hoc?  
Exemplo rudi; sed aliquatenus simili  
potest res apprehendi. Considera am-  
plissimam aulam, refertam totam pluri-  
mis, & plurium heterogeneis rebus,  
sed undequaque clausam. Si eam in-  
grediaris, unam, vel alteram rem tactu,  
vel olfactu cognosces, imperfectè ta-  
men, quòd si de repente aperiantur  
omnes fenestræ, & meridianus purus  
sol illabatur, modico tempore oculis  
ipsis carneis, tametsi hi valde imperfecti,  
atque cæci sint respectu oculorum men-  
tis, capies, & possidebis illam hetero-  
geneam rerum multitudinem, ita ut ju-  
dicare possis, quid pretiosum sit, quid  
vile, quid mediocre, quid aureum,  
quid argenteum, quid palea, quid ni-  
grum, quid album &c. Tunc sic, con-  
scientiæ, & corda humana sunt in hac  
vita, quasi aula innumeris rebus plena  
bonis